

REIMMANNO sua celebritas, qui hunc nobis nuncium confirmarunt. Attamen eruditissimi etiam viri, quoad homines manent, humani nihil a se alienum putabunt. Allegarunt omnino librum, quem nunquam adspexerant, quem vidisse se nemo adhuc ex vero profiteri potuit. Tu certe, vir pereximie, ante aliquot jam annos, publice omnes librorum possessores in novis literariis Lipsiensibus, ut quis DRAVDIVM ostenderet, sed frustra, rogasti. IO. ADAMVS BERNHARDVS, qui discursus Draudiani, tanquam reuera editi, mentionem aliquando fecerat, errorem jam ipse agnoscere coepit, & quo gaudet candore, in peculiaribus ad Te, ROTH-SCHOLTZIVM suum, exaratis literis ingenue confessus est, se, STRVVIVM REIMMANNVMque duces secutum, confidentius quam par erat, fabulam istam narravisse, maxime cum alius quidam ex ipsius amicis certiozem ipsum faceret, quasi legisset librum, parum olei auctorem operaeque in eundem impendisse.

Recordor heic etiam commercii literarii, quod Tibi cum illustri viro, ZACHARIA CONRADO AB VFFENBACH intercedit. Laetari omnino potes hujus tanti & in historia literaria excellentissimi viri consensu, qui serio negat, sibi DRAVDIVM de insignibus typographicis unquam in conspectum venisse. Multa & lauta & magnifica est VFFENBACHII supellex libraria, sed inter tot volumina Tu frustra DRAVDIVM quaesiveris, quem etiam idem VFFENBACHIVS in Bibliotheca Francofurtensium publica, cum tamen Francofurti impressus dicatur, reperire non potuit. Maluerunt scriptores DRAVDIVM, quam nullum, nominare, qui de signis librariorum bene meritus fuerit. Nunc vero desinent utique, cum ROTH-SCHOLTZIVM

B

ZIVM